

## Band I., Nr. 172, Seite 200

*Der Priester Pero gibt Güter in Goldach, unter hinzugefügten Bedingungen,  
an das Kloster St. Gallen.*

Steinach, 897. Februar 23.<sup>1</sup>

Pro amore Salvatoris ego Pero presbyter trado ad monasterium sancti Galli, ubi modo venerabilis episcopus Salomon abbatis nomine praesidet, cum manu advocati mei Waldperti, quicquid in Goldahun praesenti die possideo, absque tributaria terra, de qua census ad Constantiam persolvitur. Haec sunt autem, quae ad praedictum monasterium trado: curtile cum domo et foenili, vinea et marchis, pratis et agris, pascuis et silvis, cum omnibus videlicet quae ad possessores ipsius curtis iure legali pertinere debent. Ea ratione vel pacto, ut in praesenti mea ex integro ad monasterium remittens, pro eorum recompensatione a praeposito singulis annis vestimentum lineum et indumentum laneum mihi tribuatur usque ad obitum Engilberti, presbyteri de Manuncella. Et si forte ipsi presbytero superstes fiam, ipsam basylicam, quam idem presbyter habet in Manuncella, tam basylicam, quam ea quae ad illam pertinent, sicut praedictus sacerdos eam modo sortitur, ego ad me recipiam, et ad finem vitae meae possideam. Si vero rectoribus monasterii haec statuta aliquando displiceant, et sua mihi auferre velint, tunc nihilominus ego que mea prius erant, ad meam quoque possessionem recipiam, sine ullius refragatione personae. Actum in loco qui dicitur Stenaha, praesentibus his. Signum ipsius Peronis presbyteri, et advocati eius Waldperti. signum et aliorum: + Purchart praeses. + Cozpert. + Milo. + Tetto. + Emilo. + Werinzo. + Fridiger. + Hadabert. + Wolfhere. + Regimbert. + Amalbert. + Thiothart. Ego Walthram, famulus sancti Galli, vicarius Cozaldi praepositi, scripsi. Notavi diem VI. kalendas Martias, IV. feriam, annum VIII. Arnulfi regis<sup>2</sup>, imperii II., comitem Adalbertum.

—

Der Textabdruck erfolgt aus dem dem Codex traditiones, S. 397.

<sup>1</sup>Die Urkunde wurde erst nachträglich, mit Bezug auf *IV. feria* der Urkunde, auf Monat und Tag datiert.

<sup>2</sup>Das achte Königsjahr Arnulfs geht schon 895 Dez. zu Ende. Seine Kaiserkrönung fällt spätestens auf 896 Apr. 1. Die Zahl *VIII.* scheint unrichtig.

## Überlieferung und Publikationen

### Editionen:

Neugart: Codex diplomaticus, Bd. 1, Nr. 627.

## Weitere Angaben

### Sprache:

Lateinisch

### Ausstellungsort:

Steinach

### Ortsindex:

Goldach, Kt. St. Gallen, Schweiz

Manzell Wohnplatz (17891)

Manzell, Friedrichshafen, FN

Steinach, Kt. St. Gallen, Schweiz